

¶ *Christus factus est*, & tunc sub Altari in eodem loco abscondit. Interim in choro omnes genuflectunt, & Celebrans voce gravi, submissa, & flebili intonat, *Christus factus est, &c.* & Psalmum, *Miserere*, quem chorus eodem tono prosequitur. Psalmo finito idem Celebrans genuflexus capite inclinato sine *Oremus*, dicit, *Respice*, usque ad *Qui tecum*, quod secretò complet, & statim sit ab omnibus manu, vel aliquo instrumento strepitus per aliquam brevem morulam, donec Religiosus candelam absconditam in medium accensam proferrat, qua ostensa, omnes cessare debent à strepitu. Candelam iterum suo loco reponitur, ac postea, & non prius extinguitur.

VIII. Eadem servari debent in duobus matutinis sequentibus, excepto quod Altare erit sine pallio, & sine mappis, & nullæ lampades erunt ante Altare: tria verò signa pulsationis dabuntur cum instrumento ligneo.

IX. His tribus diebus horæ matutinæ dicuntur alta voce, cæteræ verò voce demissa, sed gravi, & sine luminaribus. Completorium inchoatur à *Confiteor*, & dicitur etiam sine luminaribus, excepto die Sabbathi Sancti. Ad Vesperas tamen luminaria sint semper accensa ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 25.

§. II.

De Missa, ac Processione Sacramenti.

I. Affigatur die præcedenti tabella in Sacristia hoc pacto.

*Feria V. in Cena Domini ad Missam.*

*Celebrans Ad. R. P. Provincialis, vel Corrector.*

*Diaconus P. N. Subdiaconus P. N. Thuriferarius F. N.*

*Ceroferarii F. F. N. N. Cruciferarius F. N.*

*Ad Mandatum Ministri iidem, qui ad Missam.*

*Cantores primi Chori P. P. N. N. Secundi Chori P. P. N. N.*

*XIII. quibus lavandi sint pedes. F. F. N. N. N. N. N. N. N. N. N. N. N. N. N. N.*

*Assistunt ad orationem intra Sepulcrum.*

*F. F. N. N. ab hora p. usq; ad hora 2. Distribuat hic Magister Cærem, per singulas horas Conversos, Clericos, ac Sacerdotes, vel contra, binos, & binos usque ad horam processionis, sequenti die faciendæ, animadvertens, quòd tempore, quò recitandum est in choro divinum officium, assistant, qui non sunt de choro.*

II. Altare majus hac die solemniter etiam floribus ornatur, & crux in eo velata sit velo albo; pallium album pulcrum ipsi taliter adaptetur, ut tempore denudationis facillè amoveri possit, flores tamen non ponantur in locis eminentibus; denudatio enim Altaris, quæ